Q. D. B. V.

DE

CONIVGIIS PRINCIPVM E STATVS RATIONE INITIS

Præſide

IVSTO CHRISTOPHORO BöHMER.

Politic. & Eloquent. Prof. Ordin.

publice diſſeret

Auctor & Reſpondens

IOHAN FRIDERICH ARENDTS

Marienſeenſis

Ad diem Decembr. cIↃ IↃccIV.

In Iuleo Maiori.

)o(

HELMSTADII

Typis GEORG-VVOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

9

§. I.

DUm ex florentisſima Academia Iulia, ſtudiorum meorum matre, in patriam cogito, qualecunque temporis collocati & induſtriæ academicæ ſpecimen ante abitum publicare, officii mei eſſe duxi. Neque tamen memetipſum ita ignoro, vt ambitioſe credam, me nova & aliis hucusque ignorata ſcribere poſſe, quæ æquior rerum arbiter haud a me expectet; neque operoſum aliquod volumen promitto, ſed qualem commentationem, ſi non alia re, brevitate ſaltem, & profeſſione amoris vlterius proficiendi, aut laudandam aut excuſandam. Quum autem,

iuxta privati atqve Romani iuris ſcientiam, amœniores cultioresque doctrinas alias, pro virium mearum modulo, coluerim; nunc quidem, ex ampliſſimo & vaſto politicorum ſtudiorum campo, argumentum, in quo ingenii vires periclitcr, deſumam, de illuſtrium perſonarum connubiis e ſtatus ratione initis, breviter dicturus.

§. II.

Equidem materiæ huius tractationem in vulgaribus civilis doctrinæ compendiis aut libris politicorum Ariſtotelis fruſtra quæras. Sed ridiculus omnino foret & commiſeratione potius quam ira dignus qui ſibi aliisque perſuadere vellet, his & ſimilibus ambitum civilium ſtudiorum comprehendi, quæ longe latius patent & plurima alia ſinu ſuo complectuntur. Variæ & ſolidioris eruditionis nomine commendatiſſimus Boſius in diſſertatione de prudentia & eloquentia civili comparanda, eximio libro, amplitudinem huius doctrinæ, vt alios ſileam, luculenter oſtendit, & argumentum, quod tractan-

ctandum ſumſimus, politici fori eſſe, nemo facile inficiabitur.

§. III.

Sicuti Reges Principesque ex ratione ſtatus plurima faciunt, quorum cauſa reliquos latet quibus obſequii gloria eſt relicta; quid mirum ſi in matrimoniis contrahendis ſtatus rationi ſæpiſſime ſerviant. Eſt autem ſtatus ratio nihil aliud quam prudentia ſtatus ſeu modus conſervandi felicitatem civitatis, id quod fit vel ordinariis mediis vel extraordinariis. Atque hæc, ſunt arcana illa gubernationis ſeu ſecretiores artes, iis tantum, qui principi ab interioribus conſiliis ſunt, perſpectæ, quas reſpublica ad ſtatum ſuum conſervandum exercet, quumque non omnibus innoteſcant, neque debeant innoteſcere, facile patet, quam perverſe agant, quotquot de ſummorum imperantium actionibus temere iudicant, de quibus præſtat reverenter ſilere, quam incomperta dicere.

§. IV.

Hac ratione ſtatus moti abſtinent ſæpe Principes a coniugio & cœlibem vitam agunt, vt ſumtibus parcatur, & provinciæ, publico imperiorum commodo, indiviſæ maneant. Vt enim acutiſſimo ingenio, doctrina egregia, ſcribendique libertati inſigni celebris Monzambanus de ſtatu imperii Ger„manici cap. 2. §. 12. inquit: Quibusdam „familiis non parum nocuit ditionis in „plures fratres diviſio, magnum illuſtri„bus domibus malum, & non niſi inter „plebeios æquitatis aut pietatis nomine ex„cuſatum. Vel pacto mutuo ſanciunt, vt vnus duntaxat e familia vxoratus vivat, cuius rei illuſtre nobis præbet exemplum auguſta domus Brunsvico Luneburgica in ſeptem fratribus, VVilhelmi filiis, Erneſti Confeſſoris, communis omnium qui hodie ſuperſunt, Ducum parentis, nepotibus. Inter hos ita convenerat, vt vnus ex iis, quem

ſors

ſors demonſtraret, duceret vxorem, reliqui cœlibes viverent, Principatum vero, ſuo quisq; ordine, ratione ætatis capeſceret. Erant illi, Erneſtus natu maximus, qui patri VVilhelmo ſucceſſit, quem excepit Chriſtianus Epiſcopus Mindenſis, hunc Auguſtus Ratzeburgenſis Epiſcopus, qui ſucceſſorem habuit fratrem natu quartum Fridericum. Reliqui duo, Magnus videlicet & Iohannes, diem ſuum obierunt antequam ordo ſucceſſionis illos tangeret. Vltimus Georgius, quem auſpicatiſſima fata celſiſſimi generis propagatorem eſſe voluerunt, ſolus ex conventione matrimonium iniit & quidem cum Anna Eleonora Ludovici Haſſo-Darmſtadienſis filia. Imhof not. Proc. Imper. L. IV. cap. 4. §. 29.

§. V.

Plane ſingulare eſt, quod Turcarum Imperator nullam ducat vxorem quæ in iuſtæ

ma-

matriſfamilias dignitatem adſciſcatur. Nec fuit a Baiazetis remporibus, niſi vnicum Solimanni cum Roxolana contrarium exemplum. Ratio ſtatus Turcici hæc dicitur eſſe, vt, impenſis parcatur, quas maximas Imperatrix requireret, certe non minores quam mater Imperatoris. Busbequius aliam huius rei affert cauſam; Baiazetem quum in Tamerlanis poteſtatem veniſſet vna cum vxore, duriora multa pertuliſſe, ſed omnium fuiſſe duriſſimũ, quod videret coniugem ſuam indigniſſimis modis
„tractari. Cuius quidem rei memoria Impe-
„ratores, qui Baiazeti in imperio ſucceſſerunt,
„ad hunc vsque, omnes a ducendis vxoribus
„abſtinuerunt, vt, quicunque caſus incidiſſet,
„ſimilem fortunam ne paterentur, tantum-
„que liberos ex ſervilis conditionis mulieri-
„bus, in quas minus iniuriæ cadere quam in v-
„xores legitimas videbatur, ſuſceperunt.

§. VI.

§. VI.

Et quid aliud ſunt deſponſationes impuberum quam ſponſalia de futuro matrimonio ex ratione ſtatus ſuo tempore ineundo, quæ legitima eſſe nemo dubitabit. Privati equidem rectius agere videntur, ſi liberos ſuos ad adultam prius ætatem pervenire ſinant, quam eos deſpondeant, neque ſuis vtilitatibus & lucris veluti victimas conſecrent miſerarum ſponſarum nuptias. Sed Principes vtriusque ſexus non ſibi ſed patriæ ſe natos eſſe credere debent, & in pignus pacis firmandæ aut ſperatæ ſucceſſionis, ſæpe contra voluntatem, offeruntur. Exempla ſponſaliorum aut nuptiarum inter impuberes vel ab vtraque vel ab vna duntaxat parte, hiſtoriæ affatim ſuppeditant. Notum eſt, quod Ludovicus XI. Galliæ R. Mariam Caroli Audacis Ducis Burgundiæ filiam vnicam filio ſuo Carolo nec dum octo annis maiori deſponderi quæſiverit. Excidit vero ſpe iſta Ludovicus quum illa Maximiliano nuberet, hocque matrimonio ditiones Burgundicas cum uni-

filii, Ludovici XIV. R. nepotis cum Maria Adelheide, Victoris Amadei II. Sabaudiæ Ducis filia impubere menſe Decembr. 1697. inito, vid. Mercure Hiſtoriq; ad dicti anni menſem vltimū. Iſtas deſponſationes impuberū, iſta matrimonia licita eſſe, meritiſſimo iure arbitramur, licet enim alias non niſi inter puberes & conſentientes coniugium ineatur L. 14. ff. de ſponſal. & ius canonicum indulgeat quidem patri nondum adultum filium deſpondere cui velit c. I. X. de deſponſ. impub. modo puber factus in ſponſalia a parentibus promiſſa conſentiat, hic tamen, ſi a perſonis illuſtribus, liberorum impuberum nomine, ſalutis publicæ cauſa, contrahantur ſponſalia, valida illa ſunt.

§. VII.

Quæ quum ita ſe habeant, multo magis defendi poſſunt illa Principum matrimonia ex ratione ſtatus inita, quæ irregularia & inæqualia civilium ſtudiorum doctores appellant. Neque offendi quis debet appellationibus iſtis quæ nihil divinis aut humanis legibus contra-

rium involvunt. Eſt vero matrimonium irregulare, matrimonium legitimum vbi tamen vel neutri coniugum in alterum imperium conceditur vel ipſe maritus ſummo vxoris imperio civili ſubiicitur, ſcilicet quando feminæ, regnorum hæredes, aliunde maritos adſciſcunt, retenta in civitatem ſumma poteſtate, quum alias communiter pactum connubiale a viro incipiat eiusque conditio ſit potior atque vxor directioni mariti obnoxia. Pufendorf. Iur. Nat. & Gent. L. 6. c. 1. § 9.

§. VIII.

Supponimus, ceu aliunde notum, feminas ſummæ poteſtatis capaces eſſe, qua de re in theſi otioſe diſputatur, in hypotheſi vero ex legibus & moribus gentium id diiudicari debet. Vidit prior ætas exempla huius regiminis in Chriſtina Sveciæ, in Maria ac Eliſabetha Angliæ Reginis. In Gallia ius Regiæ coronæ a maribus ad feminas non transſcribitur, ideoque fruſtra ibi diſputaveris de habilitate, vt loquuntur, feminarum ad imperium. Ex adverſo, vbi feminarum ſucceſſio eſt in vſu,

ab

ab exteris inepte, a civibus ſcelerate diſputatur adverſus hunc morem. Orta hinc eſt diſtinctio ſucceſſionis linealis in cognaticam & Caſtilianam, in qua poſt mares etiam feminæ admittuntur ad imperium; & agnaticam ſive juris Francici, marium ex maribus, eum in finem introducta, ne per feminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem imperium perveniat. Grot. iur. B. ac P. L. 2. c. 7. §. 22. 23. Vbi ergo ſucceſſio cognatica in regnis obtinet, fieri poteſt, vt neutri coniugum in alterum poteſtatis quid competat, aut, cui nubit regina, non fiat Rex, ſed Reginæ maritus.

§. IX.

Manifeſtum eſt in hoc matrimonio ex ratione ſtatus injto regni & thalami iura ſeparari & pro vero rege Reginā haberi, nequicquam ſexus differentia obſtante, quum & vocabulum regis natura ſua vtriq; ſexui ſit commune, vt eſt apud Livium lib. 37. c. 3: Legati a Ptolomæo & Cleo- „ patra Regibus Ægypti gratulantes &c. Maria „ non Hungariæ regina ſed rex ſalutata fuit, vt, quod ſexui deerat, ſuorum volunte ſuppleretur.

§. X.

Si igitur, quæ pleno iure Regina eſt, virgo regia, nubat principi extraneo qvi ſuæ reipublicæ eſt caput, nec plus marito iuris ex mero pacto matrimoniali in regnum vxoris, quam vxori in mariti regnum naſcitur. Arragoniæ regnum ad Ferdinandum pertinebat, Caſtiliæ ad Iſabellam, quum coniugium inter hos iniretur, nec Ferdinandus Iſabellæ Arragoniæ regnum, nec Iſabella Caſtiliæ regnum Ferdinando contulit, nec poteſtate dignitateque inferior marito vxor, nec vxore maritus fuit. Simile exemplum recenſet Thuanus Hiſtor. l. 13. ad annum 1554. coniugii inter Philippum II. Caroli V. filium & Mariam Angliæ reginam, vbi pactis dotalibus „ hæ conditiones appoſitæ: Vt, contractis in- „ ter Mariam & Philippum nuptiis, Philippus „ omnium vxoris regnorum ac provinciarum

titu-

titulos ſibi ſumat ſociusqve in negotiorum „
adminiſtratione ſit, integris regnis privile- „
ac conſuetudinibus, plena item ac libera be- „
neficiorum, gratiarum ac functionum di- „
ſtributione penes reginam remanente. Vi- „
ciſſim regina in ſocietatem omnium regno „
rum ac dominiorum Philippi mariti, quæ „
ipſe jam poſſideret & ei poſtea obventura ſint, „
vocetur &c. Idem Thuanus l. c. ad an- „
num 1558. aliud exemplum huius generis
coniugii affert inter Franciſcum Delphinum Henrici. II. Galliarum R. filium & Mariam Stuartam Scotorum reginam Iacobi V. & Mariæ Gviſianorum filiam: introdu „
ctus noſter legatus vbi ſatis longa oratione „
explicavit regum Franciæ veterem ac fidam „
in omne Scotorū nomen benevolentiam, ab „
vniverſis ac ſingulis vehementer contendit, „

vt

„ vt corona, quam coniugalem vocabat, ma-
„ rito reginæ ſuæ concederent, qvo e nomine
„ nullum emolumentū aut vlla potentia præ-
„ ter nudam vocis illius vſurpationem eſſet
„ acceſſura, etſi multi adverſabantur, interven-
„ tu tamen eorum qui rebus noſtris favebant,
„ tenuit legatus, vt corona Delphino decerne-
„ retur. „ Decreta corona, Franciſcus reginæ
„ maritus de patris conſenſu poſtea rex Del-
„ phinus appellatus eſt.

§. XI.

Matrimonii vbi maritus ſummæ poteſtati civili vxoris ſubiicitur luculentum hodie nobis Anglia præbet exemplum. Splendor regum principumqve Anna, regina, pia, victrix, triumphatrix, maritum habet Sereniſſimum Georgium, Daniæ Principem, qvi non rex eſt ſed reginæ maritus &, inter vaſallos reginæ coniugis nomen profitetur.

Quum

Quum enim Ducatum Cumbriæ, Comitatum Cancangii & Baroniam Ockinghami obtineat, communi cũ reliquis Angliæ Ducibus & comitibus feudali nexu Reginæ obſtringitur. Accedit quod, præter ordinarium agnoſcendæ omnigenæ iurisdictionis iuramentum, ſpeciali quoque iureiurando, ad pecúliares officii ſui partes dextre obeundas ſe adſtrinxerit, poſtquam ſupremi Angliæ Admiralii & quinque regni portuum cuſtodis officio a coniuge ſua eſt præfectus, vt nemo dubitare queat eum ſummo vxoris imperio civili eſſe ſubiectum. De Maria Scotiæ Regina eiusque connubio cum Henrico Stuarto ſeu Darlæo, iuvene privato & nullis inſignioribus honorum titulis claro, & poſt cædem Darlæi cum Iacobo Bodvello vid. Buchananus rer. Scotic. L. 17: 18. Cumque Bodvellus Ducis Orcadum dignitate ornaretur, fide publice data & iuramento ſe obſtrixit, ſe nullã „ inde potentiam aut ſupremi gradus faſtigium „ ſpectare ſed id vnũ vt perinde Reginæ atq; ad- „ huc fecerit, quoad viveret, pareret atq; inſervi- „ ret.

C §. XII.

§. XII.

Quod ad matrimonia ex ratione ſtatus inita, quæ inæqualia dicuntur, attinet, inæquale matrimonium eſt inter illuſtrem virum & inferioris conditionis vxorem, quæ propter inæqualitatem generis vel alias rationes politicas in iuſtæ matrisfamilias dignationem non adſciſcitur nec eius proli omne ius eſt quod filiisfamilias communiter competit, ſed liberi ex tali coniugio nati certa portione aſſignata eſſe debent contenti & a reliqua hæreditate dignitateque paterna excluduntur. Licet vero plerumqve inter diſparis conditionis perſonas coniugium tale ineatur, nihil tamen obſtat (vt præclare obſervavit ſplendidisſima Conſiliarii aulici in aula Electorali Hannoverana dignatione præfulgens Dominus Elias Aug. Strykius diſſertatione de argumento hoc ante plures annos edita) qvo minus ex ratione ſtatus inter æquales contrahatur, quin etiam oſtendit, inter plebeios talia matrimonia aliquando vſurpari, huiusqve rei fidem facere

Mar-

Marſiam Steinburgenſem die Cremper und VVilſter Marsch, cuius incolis ea, exiſtentibus iam tum ex vxore defuncta liberis, non inſveta.

§. XIII.

Vocari alias ſolent Matrimonia ad Morganaticam vel lege Salica contracta 2. F. 29. omnemqve ſuam firmitatem habent ex lege vel conſvetudine Longobardorum ac Francorum, vulgo vermehlung zur lincken Handt. Arbitrantur inde nonnulli ſiniſtræ manus porrectionem neceſſario requiri. Verior tamen eſt ſententia, vim omnem coniugii huius in ſolo pacto Morganatico conſiſtere, vtvt copulatio ſacerdotalis ad dextram fiat. Nec obſtat quo minus matrimonium hoc inæquale, e ſtatus ratione initum, ex nova ratione ſtatus mutetur in æquale, admittendo coniugem in parem dignitatem & liberos in communia liberorum iura, quum hi liberi cætera ſint legitimi; omnisqve ſuccedendi vis intuitu eorum ex voluntate & arbitrio patris dependeat.

§. XIV.

Contrahuntur vero illa ad conſervationem familiarum illuſtrium, qvibus, ex bonorum imminutione tantum decedit de dignitate, quantum illis ex nativitate accedit, vel in favorem liberorum prioris matrimonii, aut favorem fratrum vel fratris liberorum, vel denique ob melius ferendos ſumtus, qvi alias ex moribus civitatis in vxores primarias erant faciendi. Vitriarius Inſtit. Iur. N. & G. L. 2. c. 7. §. 25.

§. XV.

In imperio Romano Germanico exempla virorum illuſtrium qui talia matrimonia ad morganaticā ex ratione ſtatus contraxerunt, plurima occurrunt. Recentiora, vtpote notiora, non afferā Ferdinandus Auſtriæ Dux Ferdinandi I. Imperatoris filius & Maximiliani II. Cæſaris frater pacto Morganatico in coniugē ſibi adſcivit Philippinā V. Velſeriā, Rhetii Inſtit.

ſtit. Iur. public. L.I. T. 21. §. 13. cum qua tamen alii matrimonium ad Morganati-„ cam contractum negant, verba ſunt CL.„ Hertii commentat. Tom. 2. p. 106. De Ottonis Henrici Luneburgici filii natu maximi cum Mechtilde de Campen coniugio vid. Bunting. & Meibom. in Chronico Brunſvicenſi pag. 447. Fridericus Palatinus Elector vxorem duxit ad Morganaticam donationem virginem nobilem de Tettingen, agnato vero & filio ſuo adoptivo Philippo regiones ſuas omnes reliqvit. Ex hoc matrimonio ſuſceptum filium natu maiorem Eccleſiæ Spirenſis Canonicū, alterū Comitem de Leuvenſtein cum titulo & comitatu effecit. Georgius Fridericus Marchio Badenſis & Durlacenſis cum Eliſabetha Stozin præfecti ſui Roteleno-Stauffenburgenſis filia matrimonium ad Morganaticam contraxit, hac

lege, vt tam vxor qvam liberi certis annuis reditibus contenti a ſucceſſione bonorum familiæ abſtineant. Georgius Aribertus princeps Anhaltinus zu VVorbitz Iohannam filiam Chriſtophori de Croſeck Mareſchalli aulæ Deſſovicæ filiam hac conditione matrimonio ſibi iunxit, vt filii e coniugio hoc nati ſecluſi a ſucceſſione in bona avitorum titulum Dominorum de Radegaſt tantum gerant. Ferdinandus filius VVilhelmi Ducis Bavariæ vxorem duxit Mariam Petembeckiam hoc pacto vt liberi ex hoc matrimonio orti Comites de VVartenberg & Schaumburg ſint, nec præter quædam bona pro alimentis aſſignata quicquam ſpei futuræ ſucceſſionis in ducatu Bavariæ habeant.

§. XVI.

Quod ſalvis divinis humanisq; legibus matrimonia huius generis iniri queant, quodq; legiti-

git ma ſint, extra controverſiā eſt neq; opus habet operoſa probatione. Legantur quæ erudite de argumento hoc in medium ſunt prolata a Nicolao Mylero ab Ehrenbach in Gamologia perſonarum Imperii illuſtrium & Henrico Salmuth in reſponſo iuris pro matrimonio principis cum virgine nobili. Hi enim ex profeſſo materiam hanc pertractarunt, quos alii poſtea ſunt ſecuti.

§. XVII.

De coniugiis Principum e ſtatus ratione initis, ſicuti me facturū eſſe promiſeram, breviter dixi, non vt argumentum hoc exhauriam, ſed vt academico more publice diſquirendi detur occaſio. Liceat mihi in gratiam eorum qui opponentium ſpartam humaniter ſuſcipient, liberalium ingeniorum certamina innoxia inituri, aliqua e civili doctrina addere

Corol-

Corollaria

1.

Politica doctrina nequaquam ſolis ſtat vtilitatum quæſtionibus, iuſti iniuſtique rationibus neglectis aut aliunde quaſi de mutuo ſumtis. Bœcler. comment. in Grot. ad proleg.

2.

Ius publicum Germanicum nihil aliud eſt quam accurata deſcriptio politica reipublicæ Germanicæ, Conringio, Bœclero, Puſendorſio, Notitia Imperii audit.

3.

Qui ex vulgaribus compendiis & ſcriptoribus ſyſtematicis de indole aut amplitudine politici ſtudii iudicant, vehementiſſime errant.

4.

Notitia animorum, ingeniorum & morum, plurimum facit ad prudentiam civilem comparandam. Lipſii Politic.

5.

Quicquid a civili more in literis & literatis abhorret &, vt verbo dicam, quicquid ineptum eſt, vsque adeo reſpuit ſeculi noſtri genius, vt eruditionem hac labe contaminatam ne aſſis quidem vnius faciat, & eiusmodi eruditis literarum rudes ſed communis ſenſus non expertes vſuq; peritos longe anteponat: vere non minus quam libere inquit elegantiſſime doctus C. Cörberus piæ mem. oratio. in viſitat. Acad. Iul.

BIBLIOTECA NA... ROMA ...